

IN EPISTOLARVM ASTRONOMICARVM LIBROS OMNES PRAEFATIO
GENERALIS, TVM QVOQVE IN HVNC
Primum Argumentum.

CVM DIV, MULTVM QVE DE RE ASTRONOMICÀ instaurandà, locupletandaq̃, sublimes, & homine ingenuo (uti arbitror) non indignas alerem curas: Esset autem hoc negotium, uti per se arduum, & studij laborisq̃ ingentis; sic etiam non parùm temporis, antequàm commodè absolvi, atq̃ in actum diduci posset, omninò requireret: Ideo cunctandum nobis aliquandiu, imò per aliquot continuos Annos haec res differenda necessario fuit. Praterquam enim, quod Instrumenta varia, eademq̃ magna, & exacta, è solidà, & constanti materià, affabrè ante omnia elaboranda forent, & Structura his disponendis idonea unà Architectonico opere exedificanda: Quae omnia non saltèm impensas incredibiles; sed & unà cum labore moras, ut ritè conficerentur, absoluerenturq̃, postulabant: Ipsi quoq̃ Astrorum circuitus, & Apparentiae, quarum causa tanti fierent Apparatus, ut ritè calitùs hiscè medijs denotarentur, non paucorum Annorum periodos efflagitabant. Nam etsi Solare curriculum intra quadriennium ad summum, collatis invicem singulorum Annorum Observationibus in diversis Eclipticae locis habitis (neq̃ enim par ubiq̃ quotannis conceditur serenitas) absolvi queat: Luna nihilominus huius socia, & quasi ministra, licet singulis mensibus revolvatur; tamen ipso Sole longè plurium Annorum Observationes desiderat, antequàm eius Phenomè-

(*)

na